

gistratu cupiebant, ortum trahit. Saeculo VII. necdum Cancellarii locus erat inter Ministros Ecclesiae Latinae; scripsit siquidem Gregorius M. ad Venantium Italiae Cancellarium, ut in Claustrum, quo abierat, regrederetur. Ex historicis, & legibus constare ait Thomassinus l. c. 104. N. 15. Notarios primum hos fuisse, vel Secretarios, quibus lapsu temporis majora in dies commendata sunt negotia; & hinc illis tanta splendoris, & auctoritatis accessio. In hujusmodi officia intricare se Clerici non ceperunt, nisi circa tempora Caroli M. quando illis ea interdixit Concilium Cabilonense A. 813. Presbyteros, inquit, Cancellarios publicos esse decrevimus inhibendum. Interea tamen illud simplices Clerici obierunt, quamvis ceteroquin officium laicum esset. Sub Imperio Caroli M. quo auferere cepit Cancelliariorum dignitas, eorum erat asservere Principum scriinia, leges, praecipua; item statuta placitorum, & Comitiorum Regni horum exscripta Archiepiscopis, & Comitibus subministrare, à quibus ea cum Episcopis, & Abbatibus, & Comitibus communicabantur: denique Principem admonere, qui Episcopi, qui Comites apographa haec Capitularium Regionum acceperunt; uti constat ex Capitulari Ludovici Pii A. 821. cap. 24. quod Capitulum de *Archicancellario* loquitur, qui tunc ex Clericis semper deligebatur, ut liquet ex subscriptionibus apud Thomass. l. c. c. 105. cui subordinati erant Cancellarii, vel Notarii, qui vices ejus in absentia supplebant. Saeculis sequentibus Romana Ecclesia, Summiue Principes suorum Regionum habuerunt Cancellarios, amplissima potestate praeditos, quae de facto superstes est; tunc temporis vero ad eam ex Clericali Milicia assumbantur. Vide Thomass. l. cit. c. 106.

14. Chartophylax, qui interpretatur Chartarum Custos, in Ecclesia Graeca honore, & amplitudine Notarios, & Cancellarios praecessit.

Id patet ex Actione 8. Synodi Chalcedonenfis, in qua haec ejus praecedentia haec exprimitur: *Quidam ex Secretario Sanctissimi Patriarchae Constantinopolitani, id est, Gregorius Diaconus, & Chartophylax, Anastasius Diaconus, & Notarius, & Defensor Navium, Stephanus Diaconus, & Cancellarius.* Praeterea Chartophylax ibidem primus post Episcopos subscribitur. Ex eodem Concilio Act. 12. 13. & 14. eruitur, eum fuisse Archivum, & Bibliothecae Constantinopol. Praefectum, quam spartam nullatenus exornarunt in Ecclesia Latina Chartularii, sed Bibliothecarii, teste Thomass. l. cit. c. 105. N. 12. Insuper plures ibi numerantur Diaconi sub Chartophylace Collegii sui Principe. Saeculo IX. principem fere locum inter Dignitates Ecclesiae Constantinopolitanae tenuit Chartophylax. Ejus iura, teste Anastasio Bibliothecario in annotatione quadam ad VIII. Synodi Actionem 2. eadem fere ibi fuerunt, quae Bibliothecarii in Ecclesia Romana. Diaconus fere fuit Chartophylax; at Sacerdotii partes, quae Ordinem Presbyteralem non desiderarent, omnes implevit. Ab ipso Episcopi, & quicumque alii ad Patriarcham Constantinopolitanum, & ad Ecclesiasticos Conventus introducebantur; ejus unius manu tradebantur eidem Patriarchae omnes epistola, exceptis iis, quae ab aliis Patriarchis mittebantur (quod fragmen Officii Latini Chartularii ex nominis etymo videtur quoque competitivisse), nemoque Abbatia, vel Dignitate quacumque Sacra, vel Praetura initiari poterat, nisi ab ipso approbatus, & Patriarchae praesentatus. Et, quod maxime stupendum, cum Diaconus tantum esset, non tantum supra Presbyteros, sed etiam supra Episcopos in Conventibus omnibus, qui extra Sanctuarium, ubi Altare erat, & extra Concilia fierent, sedebat: quam praerogativam consuetudine, Episcoporum negligentia, & desidia inveterascente, atque Alexii Comneni Constitutione comparant, & mordicus tuiti

tuiti sunt. Jus Orientale to. 1. pag. 144. Post multa vero scandala, haec ex consuetudine orta, illa Canone Synodi Trullanae ita temperata est, ut *Chartophylax ante Presbyterum non sedeat, praeterquam si proprii Patriarchae, vel Metropolitanus vicem gerens adit in alia Civitate super aliquo capite.* Tunc enim ut locum illius implens honorabitur. Vices autem Patriarchae tandem fere agebant Chartophylaces Constantinopolitani; cum, teste Balsamone, essent eorundem, qua Episcoporum Constantinopolitanorum tum Jurisdictionis contentiosa, tum Penitentiarum Administratores. Pro coronide hic subnecto

Dignitates Ecclesiae Graecae Schismaticae, quemadmodum leguntur subscriptae in Synodo de A. 1642. ab illa habita, in qua Calviniana Heresis est proscripita, quam Pseudopatriarcha Constantinopolitanus Cyrillus disseminaverat. Sic autem ordine sequuntur: Praedicator Evangelii. Magnus Archimandrita Magnae Ecclesiae. Magnus Protosynellus Magnae Ecclesiae. Magnus Logotheta. Magnus Oeconomus. Magnus Ecclesiarcha. Nomophylax. Minor Scellarius. Protonotarius Magnus. Primicerius. Dicaphylax. Magnus Interpres. Logotheta. A Commentarius. Protapostolarius. Notarius. Apud Colet. To. 21. Con. col. 1638.

TITULUS XXVIII.

De Officio Vicarii.

1. **N**aturae humanae imbecillitas fontalis origo est Vicariorum. Cum enim homo nec ubique esse, nec omnia per se ipsum negotia ob eorum frequentem multitudinem expedire valeat, naturaliter consecutus est, ut negotiis humanis sive spiritualibus, sive temporalibus praepositi, eorum molem in plures dividerent, ut ita & illi in portandis oneribus sublevarentur, & negotia commissa haec oeconomia accuratius expeditur. Et ita factum legitur non tantum in veteri, sed etiam in novo Testamento; in veteri siquidem Moyses ad suasionem Jethro, haec duplici ratione fulsitam, Vicarios sui elegit, qui pondus immensum gubernationis Populi duri cervicis una administrarent, Genesis 18. In novo vero ipse Salvator in sublevamen Apostolorum, ob multitudinem melsis, & paucitatem Operariorum, designavit septuaginta duos, quibus munus Apostolicum delegavit, Lucae 10. Nec aliam ob causam in primitiva Ecclesia Episcopi vices suas Archidiaconibus, & Archipresbyteris commiserunt, quemadmodum vi-

dimus Titulus 23. & 24. hujus libri. Hoc in Titulo notas historicas dabimus de Vicariis perpetuis Ecclesiarum, Cathedralibus, Collegiatis, vel aliis Ecclesiis; Monasteriis item, Beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscumque incorporatarum; atque de ipsis Episcoporum Vicariis Generalibus, qui in locum Archidiaconorum successerunt, ut laudato Titulo 23. hujus libri vidimus.

2. Quamvis juxta Tridentinam Synodum Sess. 24. c. 12. de Res. omnes Canonici Divina per se, & non per substitutum obire debeant Officia: iuste tamen, & ante illud Concilium instituti sunt, & post illud adhuc servantur illorum in Choro Vicarii.

Cum enim non tantum ad Divini Officii perfectionem, sed etiam ad Hierarchicas functiones pro Ecclesia necessitate, & utilitate Canonici obligentur; non difficile intelligi potest, eos à Divini Officii personali perfectione nonnunquam avocari, quorum absentiam proia laudabiliter à dictis Vicariis supple-

tur. Unde Synodus Colonienfis A. 1536. etfi Canonicos in Choro per se non plalentes graviter perstringat; hanc tamen exceptionem addendam censuit, nimirum: *Quem tamen aliud Officium Ecclesiasticum, aut publicum alio statim rapiet, ut nisi legens preces horarias tempestive absolvere haud possit, hac lege teneri haud volumus.*

3. Hi Canonicorum Vicarii, juxta præscriptum Conciliorum aliquot Provincialium, debent esse aut in Sacris, aut saltem in Lectoratus Ordine constituti; & hoc posteriori casu, quantum fieri potest, cælibes.

Ita decernit Concilium Camaracenfe A. 1565. tit. 6. c. 15. & Synodus Andomarenfis A. 1683. habita; quamquam ex consuetudine his Vicariis Ecclesiasticis, etiam sæculares uxorati, alterna versum modulatione concinere soleant.

4. Non æque laudabilis fuit Vicariorum Parochiarum origo.

Introducti siquidem sunt, & primo constituti à Laicis, qui à Sæculo VIII. & sequentibus non tantum decimas Ecclesiarum Parochialium, sed ipsas quoque Ecclesias bene multas obtinuerunt; & continuati per Monasteria, & Collegia Canonicorum, ad quæ subinde decimæ, & Ecclesiæ, à Laicis his Sæculis occupatæ, rediverunt. Itaque Laici, cum Ecclesiis, quas hæreditario jure possidebant, atque posteris suis tum in capita, tum in stirpes transmittēbant (de quo gravissimo abusu loqui Capitulum 1. & 2. de Jure Patronatus testatur Florens in Commentario ad illa); cum, inquam, Ecclesiis his præesse per se ipsos non possent, distinctionem inter Ecclesiam, & Altare commenti sunt, primæque omnia temporalia addixerunt à se persruenda; Altari vero Sacramentorum administrationem, & cæterarum functionum Sacerdotialium per solutionem, à Presbytero conducto præstandam. De qua funesta Sæculi XI. distinctione ad Reges Galliæ Hugonem, &

Robertum scriptæ, eamque ut gravissimum errorem arguit S. Abbo Floriacensis Abbas: *Certe charissimi Principes, iniquiens, nec Catholice loquimur, quando illam Ecclesiam dico esse meam, ille alteram dicit esse suam, ac veluti quædam jumenta comparati jumentis insipientibus, utrasque aliquando venales proponimus, propositas ab aliis emere non formidamus. Est etiam alius error gravissimus, quo fertur, Altare esse Episcopi, & Ecclesiam alterius cujuslibet Domini: cum ex Domo consecrata, & Altari unum quoddam fiat, quod dicitur Ecclesia. Dum autem successu temporis è Laicorum manibus Ecclesiæ ad Monasteria, & Canonicorum Collegia pervenerunt; cœperunt quoque nonnulla exemplaria, & Canonicorum Collegia, exemplo Laicorum, à quibus eas acceperunt, Ecclesiam ab Altari dividere; & Ecclesiam, seu decimas, aliaque jura sibi reservando, Altare, sive Spiritualium curam Presbyteris quibusdam demandare.*

5. Hi Parochiarum Vicarii initio erant mere temporales.

Mutari namque poterant à Rectoribus principalibus, seu Pastoribus primitivis Ecclesiarum, & hæc Sæculis à Monasteriis, & Collegiis Canonicorum, mediante aliquo centu pecuniario, Episcopi præstito, permatabantur, qui census *Altarium redemptionis* dicebatur; idque, ut apparet ex usu feudorum: vi cujus Domino directo certe pecunia, sive jus relivii solvitur, quoties novus vasallus investitur. Quæ Altarium redemptionis æqui-bonique non est consultata ab Urbano II. relato causa 1. q. 3. c. 4. in Concilio Claremontensi, &c.

6. Sæculo XII. Monasteria, & Capitula hos Vicarios præsentabant, Episcopi vero illos approbabant, quibus, quantum ad curam animarum, Abbatibus vero quoad temporalia, erant subiecti, necdum tamen erant de jure perpetui.

Id declarat Synodus Claremontana apud Grat. 16. q. 2. c. 6. his verbis: *Sane quæ*

Mona-

Monachorum quidam Episcopis jus suum auferre contendunt; statuimus, ne in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum consilio Presbyteros collocent; sed Episcopi Parochiæ curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant: ut ejusmodi Sacerdotes de Populi quidem cura Episcopis rationem reddant: Abbati vero pro rebus temporalibus ad Monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeat: & sic cuique sua jura serventur. Hic tamen Canon non determinat, num deberent esse perpetui hi Vicarii, num conductitii, & ad nutum amovibiles. Sicut nec Epistola Urbani II. hujus Concilii Præfatis, ad Hugonem Abbatem Cluniacensem. Et quidem, cum Presbyteri illi conductitii, & ad nutum amovibiles, magis à Monasteriis, & Capitulis deberent, atque propterea iis magis complacere studerent, & paucioribus subsidiis temporalibus essent contenti; maluerunt Monasteria, & Capitula hujusmodi conductitii, & ad nutum amovibilibus Presbyteris curam animarum demandare.

7. Huic œconomix Sæculo XIII. acriter succenserunt Concilia varia, eamque tollere per substitutionem Vicariorum perpetuorum conata sunt; successu tamen minus optato.

Quantum ad primam partem Synodus Germanica A. 1225. celebrata sub præsidio Conradi Episcopi Cardinalis Portuensis, & S. Rufinæ, Sedisque Apostolicæ Legati, deplorat Can. 12. quod *enormis quædam consuetudo in quibusdam Germaniæ partibus contra Canonicas Sanctiones invaluit, ut ponantur in Ecclesiis Sacerdotes Vicarii temporales: Ne id fiat de cætero (ait Legatus) auctoritate legationis, qua fungimur, omnibus modis inhibemus; sed cum Vicarius poni debet, & potest, perpetuo instituat, idque assensu & auctoritate Diocesani, & Archidiaconi loci illius. Concilio Moguntino Biterrense A. 1233. Can. 11. & 12. concinit, dum omnibus Religiosis,*

Capitulis, & aliis Personis, qui tenent Ecclesias Parochiales, præcipit, ut perpetuos Vicarios præsentent.

Secunda pars inde clarescit, quod Sæculo XVI. post machinationes Lutheri, contra Ecclesiam inchoatas, de conductitiis hæc Sacerdotibus, qui Ecclesiis incorporatis Monasteriis, & Capitulis præficebantur, summopere conqueisti sint Principes Germaniæ: ut patet ex articulo 36. inter gravamina eorum nomine Adriano VI. exhibita.

8. Concilium Tridentinum huic abusu efficaciter occurrere volens, œconomia utrum est.

Sic enim statuit Sess. 7. c. 7. de Ref. Beneficia Ecclesiastica Curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuo unita, & annexa reperiuntur, annis singulis visitentur, ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis, pro bono Ecclesiarum regimine, aliter expedire videbitur, animarum cura laudabiliter exerceatur. Ex quo decreto certum est primo, mentem Concilii, votumque esse, ut dictis Ecclesiis præficiatur Vicarius perpetuus; nisi in particulari casu aliter Ordinariis videretur. Secundo, de rogasse Concilium consuetudini immemorabili deservendi hæc Ecclesiis per Vicarios amovibiles, ut notat Garcias de Beneficiis Parte 11. c. 2. N. 6. ex declaratione S. Congregationis. Nihilominus tum in Gallia, tum nostris in oris Ecclesiæ incorporatæ Monasteriis per Religiosos ad nutum Superiorum amovibiles administrentur; nec hoc fit contra mentem Concilii, cum pro bono Ecclesiarum regimine hoc expedire visum sit, & revera expedit.

9. Hi Vicarii perpetui, non secus atque alii Parochi, & Beneficiati, eatenus sunt perpetui, ut non possint nisi canonice, & servato juris ordine amoveri, & juxta Rebuffum etiam moriatur Rector Principalis.

Ss

Licet

Licet enim hujusmodi Presbyteri Parochiis præfecti dicantur *Vicarii*; nullatenus tamen dependent à suis Principibus, quemadmodum mandatarii à mandantibus, aut delegati à delegantibus; sed titulum habent per se substantentem, & jura, quæ loquuntur in Parochialibus, etiam habent locum in Vicariis, quibus Vicarii præfunt, ait Rebus. & sat aperte decisum est in Clem. unica de officio *Vicarii*. Cum omnis plane cura animarum in ipsos transferatur, adeoque sint nominatenus tantum Vicarii, sicut Rectores Principales nominatenus Pastores, seu Parochi.

10. Præter Chorepiscopos, qui olim erant Episcoporum Vicarii Generales in Parochiis agrorum: item Archidiaconos, & Archipresbyteros, qui respective tales erant in Urbe, & Ecclesia Cathedrali, & quidem nati, de quibus suo loco dictum est, Episcopi jam Sæculo IV. suos habebant Vicarios Generales arbitrios, in quos Episcopalis facinæ partem rejiciebant.

Talis in Oriente erat Patri suo Gregorius Naz. teste Baronio ad A. 366. N. 10. Eusebio Cæsarensi S. Basilii, cum adhuc Presbyteri essent, teste eodem l. cit. & Greg. Naz. Oratione 2. in laudes *Basilii*, & Flavio Antiocheno Chrysostomus; adhuc Diaconus, postea Presbyter, teste eodem ad A. 382. N. 48. Talis in Occidente fuit Ambrosio Mediolanensi Symplicianus Presbyter, ut ipse testatur ep. 2. ad eundem, & Valerio Hipponensi S. Augustinus, item Presbyter, ut habet Baronius ad A. 391. N. 22. Sed cum hi Vicarii Generales simul fuerint plerumque Episcoporum Coadjutores, de iis Libro III. dicendi locus occurret.

11. Hi Vicarii tamen Generales non habebant similitudinem cum modernis Episcoporum Vicariis Generalibus.

Erant enim ex parte tantum Officiales, & præterea eorum Pœnitentarii; Theologi item, & Ecclesiæ Cathedralis Parochi, teste Thomasio, de Vet.

& Nov. Eccl. Discipl. p. 1. lib. 2. cap. 7. N. 7.

12. Moderni Episcoporum Vicarii Generales Sæculo XII. juniores sunt.

Nulla enim illorum fit mentio non tantum in Decreto Gratiani, sed neque in Decretalibus Gregorii IX. Sæculi XIII. initio compilatis; quin Archidiaconus disertis verbis ibidem Vicarii Generalis Episcopi edicitur, Cap. *Ad hoc de officio Archidiaconi*. Præsentis equidem Titulo Cap. *Sua nobis, &c. de Vicario* agitur, quem Papa Romæ creabat, cum ab ea aliquamdiu absuturus erat, quem & spirituali jurisdictione in universam Urbem induebat; at hunc esse à modernis Vicariis Generalibus diversum, res ipsa loquitur. Mandat quidem præterea Concilium Lateranense sub Innocentio III. ante editionem Decretalium habitum, ut si quis in Urbe, vel Diocesi essent Populi plures, non una lingua, diversis moribus, aliis & aliis Ecclesiæ ritibus, totidem ab Episcopo constituerentur *Vicarii Generales*, qui singulis adminicula salutis omnibus necessariz suppeditare possent Cap. *Quoniam de off. Jud. Ord.* Sed eam fuisse Vicariorum singularem speciem pariter liquet. Mandat insuper idem Concilium, ut Episcopi sibi constituant Vicarios, qui vice ipsorum, cum per se iidem nequiverint, *Diocesanos instruant, visitent, & regant*; sed vel ex hoc ipso liquet, Vicarios Generales tunc necdum in usum fuisse, cum ad illos accersendos hortandi fuerint Episcopi; quamvis non disticemur in una, vel altera Diocesi jam tum existisse Vicarios Generales nostris symbolos, uti ostendit Thomass. l. cit. c. 8. N. 3. Semina tamen hujus Dignitatis splendida hæc Constitutionibus jacta fuisse, sequentia demonstrabunt.

13. Circa Sæculi XIII. medium invalescere ceperunt Episcoporum Vicarii Generales, & Sæculo XIV. universim habiti sunt.

Frequens enim illorum mentio sub nominibus

mine Officialium occurrit sub Innocentio IV. qui fedit A. 1243. in Concilio Lugdunensi, & hoc Titulo in 6.

Altera pars constat ex variis Conciliis hujus Sæculi, quæ Episcopos suos habere Vicarios Generales supponunt, uti Concilium Londinense, item Ravennatense Can. 2. & Can. 44. ubi ait: *Singuli Episcopi, & eorum Officiales, Vicarii, Locumtenentes, & vicem gerentes ipsorum*. Item Bonifacius VIII. relatus Cap. 2. & 3. h. T. in 6. Verisimile est, inquit Thomass. l. mox cit. increbrescentes tunc inter Episcopos, & Archidiaconos dissensiones eo visas esse pacandas remedio, ut Vicarii Generales ab Episcopis crearentur, qui paulatim supra Archidiaconos asurgerent, eorumque in se transferrent jurisdictionem, quam arbitraria Episcoporum delegatione olim obtinuerunt, constanti deinde titulo, & officio explicuissent, tanquam sibi propriam, & agnatam.

14. Jure communi Vicarii Generales cum Officialibus confunduntur; in quibusdam tamen Diocesis distinguuntur.

Quantum ad primam partem totus Titulus de Officio Vicarii in sexto inscriptus, vix de alio, quam de illo, quem aliz Dioceses *Officialem* vocant, verba facit; ipsaque hodierna Italiz praxis est, ut Vicarius Episcopi sit & Officialis: quam secuta Synodus Trid. Sess. 24. cap. 10. de Ref. Officialium cum Vicario Episcopi confudit; inque nostra Alma Archidieceps Pragensis officia Vicarii Generalis, & Officialis ab una Persona peraguntur, qui se subscribit *Vicarium Generalem, & Officialem*, quod & aliis in Diocesis solenne est.

Quantum ad secundam partem, in Belgio, teste Van-Espen, ille dicitur Episcopi Officialis, qui jurisdictioni contentiosæ, seu decidendis litibus præest, & olim ex Cap. 2. de Regularibus, & Cap. 1. de Frigidis, & Mater. dicebatur *Misus*: ille vero Vicarius Generalis, qui jurisdictionem voluntariam, id est, dispen-

sationem circa Beneficia, Ordines, &c. exercet.

15. Vicarii Generales Episcoporum jure communi habent eandem cum Episcopo jurisdictionem in utroque foro, is exceptis, quæ specialem delegationem requirunt.

Constituunt enim eandem cum Episcopo Personam, atque de jure, & praxi ab eorum tribunali ad Episcopum appellari nequit.

Quantum ad 2. p. vide Cap. 2. & 3. de Off. Vicarii in 6.

16. Illorum potestas jure communi non est ordinaria, sed ad nutum Episcopi revocabilis. Sunt tamen in dignitate constituti.

Primum partem decedit tum Titulus præfens in 6. tum Trid. Sess. 24. c. 16. de Ref. ubi requirit, ut Capitulum, Sede vacante, teneatur infra 8. dies post mortem Episcopi Officialem, seu Vicarium constituere, vel existentem confirmare: ejus ergo jurisdictione morte Episcopi concedentis expirat, qui est character jurisdictionis delegatæ, & temporariæ.

Secunda vero colligitur ex eo, quod vi Clementinæ 2. de Rescriptis eidem per Rescriptum Apostolicum causæ committi possint, quæ non nisi Canonicis Cathedralibus, aut aliis in Dignitate constitutis committi queant, juxta cap. *Statutum de Rescriptis* in 6.

17. Vicarius Generalis Capituli est ille, qui, Sede vacante, jurisdictionem Capituli exercet.

Est institutus à Tridentina Synodo Sess. 24. c. 16., cum alias jure communi Decretalium Capitula ipsa jurisdictionem, viduata Sede, exercerent. Debet nominari, vel præcedens Vicarius Generalis Episcopi confirmari intra octo à morte Episcopi dies; alioquin ejus nominandi potestas ad Metropolitanum devolvitur. Ipsa quidem Tridentinæ Synodi verba unum tantum nominari sinunt; at S. Congregatio, & Pontifices ipsi constanter responderunt,

duos, præsidio consuetudinis immemoria-
lis, nominari posse.

18. Vicarii Apostolici dicebantur ii,
quibus olim Romani Pontifices suo in Pa-
triarchatu vires suas committebant in cer-
tas quasdam Provincias, earumque Me-
tropolitans.

Primus huiusmodi Vicarius occurrit Ar-
chiepiscopus Thessalonicensis, cui vires
suas Sæculo IV. in Illyricum Damascus,
& Siricius Papæ commiserunt, Innocentius
I. eiusque Successores confirmarunt,

TITULUS XXX.

De Officio Legati.

U^Sus Legationum Apostolicarum
est antiquissimus.

Varia siquidem earundem species vige-
runt Sæculo V. sub Leone Magno. Hic
enim Summus simul, & Sanctissimus Pon-
tiffex Anatholium Constantinopolitanum
Episcopum in propria sua Provincia de-
legavit, ut Attici Presbyteri sententiam
de fide exploraret, scriptoque damnare co-
geret expressissimo Eutichetis errores, Ep.
77. ad Anatholium. Item Luculentium
Episcopum, & Basilium Presbyterum ad
eamdem Civitatem destinavit, ut cum Ana-
tholio vice sua conjunctim laborarent ad
refarciendam labem Orthodoxæ Fidei in
Ephesina Pseudo-Synodo tantum non la-
befactate, Ep. 46. ad eundem. Præterea,
Potentium Episcopum in Africam ablega-
vit, qui secundum scripta, quæ per ip-
sum ad eos direxit Summus Pontiffex, de
Episcopis, quorum culpabilis ferebatur
electio, quid veritas habeat, inquireret,
sibi que omnia fideliter indicaret: verba
sunt ep. 87. Qui Sapientissimus Pontiffex
insuper gravate ferens, quod Anatholius
Constantinopolitanus Episcopus non eo
tuendæ fidei flagraret zelo, quo succendi
Episcopos æquum est, Julianum Coensem

uti ex eorundem epistolis conspicuum est.
Eadem postmodum dignitate, & autho-
ritate nobilitati sunt in Gallia Episcopi
Arelatenfes, Viennenses, Rhemenfes, Lug-
dunenses. In Hispania, Hispalenfis, Tarra-
conensis, Toletanus. In Anglia, Cantua-
riensis. In Germania, Mogatians. In Pla-
gis aliis Septentrionalibus Adalbertus Ham-
burgensis, Bremensive: uti probat Tho-
masinus de vet. & nova Eccl. discipl. lib.
1. à cap. 30. Sed de his uberius Titulo
sequenti N. 5.

in Ægeo mari Episcopum delegavit, ut
vice sua, ob dicti Antititis scordiam per-
vigil iustaret, ne hæresis Nestoriana, vel
Eutichiana in aliqua parte revirescant,
ep. 56. atque ad Marcianum Imperatorem
scripsit, ut pateretur Julianum Apocri-
farii apud Aulam fungi officio, atque ad-
versus pestiferas hæreticorum innovatio-
nes, ne latius serpant, excubare. Et ante
S. Leonem S. Augustinus à Zozimo Papa
fue missum in Mauritaniam ad Cæsaream,
causarum quarundam finiendarum gratia,
testatur.

2. Qui has legationes obire solent,
Legati vocantur: suntque jure communi
in triplici classe, nimirum, Legati à late-
re, Legati missi, & Legati nati.

Hanc Legatorum distinctionem erunt
Canonistæ ex Cap. 1. de Offic. Legati in
6. ubi Legati missi contraponuntur iis,
qui prætextu Ecclesiarum legationis sibi
vendicant dignitatem, seu Legati Nati,
atque in jurisdictione postponuntur Fra-
tribus Pontificis, seu Cardinalibus lega-
tione fungentibus, qui sunt Legati à La-
tere. Itaque Legatus Natus jure commu-
ni dicitur is, qui dignitatem hanc, non
ex deputatione à Pontifice facta, sed ex
sua

sua ad certam Sedem Episcopalem, cui
hæc dignitas annexa est, protectione asse-
quitur; Legatus vero à Latere is, qui
Cardinalitia Dignitate fulgens, graviori-
bus Ecclesiæ negotiis tractandis ad Aulas
Principum Christianorum mittitur; & hoc
ideo, ait Glossographus, quia Cardinalis
furnitur de latere Papæ, utpote cum quo
Cardinalium Collegium unum corpus consti-
tuit; Legatus denique Missus, hodie
Nuntius Apostolicus is, qui, Purpura des-
titutus, apud Principes Christianos residet,
& ordinariis negotiis superintendit. No-
tandum tamen, quod Legatus non Car-
dinalis, seu Nuntius Apostolicus, mit-
tatur interdum, adjecta in ejus facultatibus
clausula: Cum potestate Legati à Latere,
quæ de stylo Curie Romanæ consuevit
adici mandatis Legatorum, qui sumbram
vestimenti Papæ tetigerunt, seu qui ab eo
vix vocis oraculo mandatum acceperunt,
ut post alios monet Barbosa Lib. 1. Juris
Can. cap. 5.

3. Horum etfi nomina, non tamen
officia primis Ecclesiæ temporibus fuerunt
ineognita.

Etenim si differentia veterum Legatio-
num Pontificiarum attentius pensetur, ap-
parebit, dictas tres Legatorum species ex
ulitato jam olim vario delegandi modo
profluxisse. Imprimis namque certum est,
Pontifices à primis sæculis, præter Lega-
tos ad Concilia mitti solitos (quam pro-
vinciam in Concilio Nicæno A. 325. sub
Sylvestro obierunt Hossius Cordubæ Epis-
copus, cum Presbyteris Vito, seu Bitone,
& Vincentio; in Ephesino sub Coelestino
I. Cyrillus Alexandrinus; in Chalcedonen-
si sub Leone M. Paschasius Episcopus
Lilyberanus, &c.) solemne quoque ha-
buisse tales subinde destinandi ad Impera-
tores Christianos, dum graviora Ecclesiæ
negotia occurrerent pertractanda, & com-
ponenda: quales (ut alios taceamus) Li-
berius Papa ad Constantium destinavit,
ut Concilium Aquilejæ cogendum impe-
raret, in quo de novo tractari posset tum

de objecto S. Athanasio crimine Majesta-
tis, tum de veræ fidei restitutione, de qua
iustaulta legatione plura narrat Baronius
ad A. 353. & huic Legatorum generi res-
pondent extraordinarii illi moderni Sedis
Apostolicæ Legati, à Latere dicti. Aliud
præterea Romani Pontifices olim habebant
Legatorum genus, illorum scilicet, qui
non occasionaliter, quemadmodum primi,
ad Principes mittebantur, sed longiores
moras in Comitatu, seu Curia, aut Urbe
Regia trahebant; nec alicui tantum ne-
gotio, sed ad quascumque causarum emer-
gentium species tractandas mittebantur:
quam spartam, iussu S. Leonis M. post
Concilium Chalcedonenfe, in Aula Mar-
ciani Imperatoris obivit Julianus Coensis
Episcopus, ut N. 1. h. T. notavimus. Leo-
nis exemplum in mittendis huic Legatis,
teste Petro de Marca lib. 5. cap. 10. de
Concordia Sacerdotii, & Imperii, secuti
sunt alii Pontifices, qui Legati Respon-
sales, sive Apocriarii dicti sunt, quod
responsa seu mandata exequerentur eorum,
à quibus missi erant; & huic generi Lega-
torum respondent moderni Sedis Aposto-
licæ Nuntii. Tandem, cum Pontifices
in amplissimo suo Patriarchatu Ecclesia-
rum utilitati, & necessitati expedire ju-
dicarent, ut Vicarios sui certis Provinciis
præficerent, qui vice sua illis intendere-
rent, hanc eminentem prærogativam Epis-
copis eminentiorum Sedium contulerunt,
quemadmodum Titulo 28. N. 17. vidimus.
Quod privilegium, initio mere personale,
postquam ipsis Sedibus subinde annexum
fuit, earum possessores Legati Nati dicti
sunt, eo quod statim ac dictis Ecclesiis
præficerentur, Præfulesque crearentur, mi-
nus officiumque Legati, seu Vicarii Apo-
stolici nanciscerentur. Qua de re notandæ
sunt Gregorii M. epistolæ 50. 51. & 54.
lib. 1. item ejus responsio 9. ad Anglorum
Episcopos, relata 25. q. 2. c. 3.

4. Apocriariarum Apostolicarum, qui
modo dicuntur Nuntii, non eadem ubique
erat potestas, & jurisdicatio.

Majorem ipsi fuisse potestatem in Italia, Infulisque adjacentibus, quam modernis Nuntiis Apostolicis, eruitur ex Greg. M. lib. 1. ep. 1. ad Episcopos Siciliae, & refertur dist. 94. c. 1. in qua effigiem eorundem numeris omnibus absolutam hisce coloribus exprimit: *Valde necessarium perspeximus, ut sicut Prædecessorum nostrorum fuit judicium, ita uni eidemque persone omnia committamus; ut ibi nos presentes esse non possumus, nostra per eum, cui præcipimus, representetur auctoritas. Quamobrem Petro Subdiacono Sedis nostræ infra Provinciam Siciliam vices nostras Deo auxiliante commisimus; nec enim de ejus actibus dubitare possumus, cui totum Ecclesiæ nostræ noscitur Patrimonium commississe, &c. Semel per annum Fraternitas vestra conveniat, quatenus quæ ad utilitatem ipsius Provincie Ecclesiarumque pertinent, sive ad necessitatem pauperum oppressorum cum eodem Petro Subdiacono nostræ Sedis congrua debeat moderazione disponere.* Ex qua, sicut ex aliis hujus Sanctissimi Pontificis epistolis apparet, Apocriarios Apostolicos in Italia, & adjacentibus Infulis personam Papæ circumgestasse, variis in Provinciis sparsim S. Petri Patrimonium administrasse, auctoritatem Papæ delegatam in Causis Ecclesiasticis exercuisse, Executores fuisse tam Decretorum Pontificiorum, quam Canonum; Synodos Provinciales congregasse, & ibi cum Episcopis in commune consuluisse de Ecclesiarum utilitatibus; Patrimonia pauperum curasse, Monasteria reformasse, denique Episcopis adversus impotentiam Metropolitanorum patrocinatos fuisse: quemadmodum ex ejus regestis ad longum probat Thomassinus p. 1. lib. 2. c. 107. Quod vero in aliis Provinciis tam amplam potestatem haud exercuerint, idem Thomassinus lib. cit. inde adstruit, quod nihil jurisdictionis ibi explicare poterant, nisi ad speciales aliquas causas speciali rescripto sibi commissas. Id quod subinde in Italia quo-

que factum est. Habebant autem non solum Romani Pontifices, sed etiam alii Patriarchæ, & Exarchæ Orientis suos apud Imperatores Apocriarios, qui erant communiter Diaconi; alii vero, de quibus jam diximus, communiter Subdiaconi.

5. Rutilantior fuit Legatorum Natorum, seu Vicariorum Apolicorum, aut etiam Primatum extra Italiam Jurisdicatio.

Propositio patet tum inde, quod Apocriarii Pontificum in Italia communiter fuerint tantum Subdiaconi; Legati vero nati Illustrissimarum Sedium Metropolitanarum. Tum ex eo, quod Apocriariarum potestas solum esset temporaria; horum vero ipsius Legati vitæ, vel demum ipsi Sedi Archiepiscopali annexa. Tum denique ex ipsa jurisdictionis hujus amplitudine, quam exhibet S. Leo ep. 84. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, Sedis Apostolicæ per Illyricum Legatum, seu Vicarium, vi cuius ad eundem pertinet: 1. Episcopos, quin & Metropolitanos sui Vicariatus confirmare priusquam ordinentur. 2. Lites dirimere, quæ in Concilio Provinciali Metropolitanorum decidi nequiverint, vel ad Summum Pontificem decidendas deferre. 3. Concilium Nationale ex toto Exarchatu convocare. 4. Curare, ut per omnes ditionis suæ Ecclesias disciplina, Legesque Ecclesiasticæ quam diligentissime observentur; & si cui malo mederi non possit, Pontificem Romanum desuper monere. 5. Denique Metropolitanis, Episcopis, cæterisque Clericis, qui Patria exire, & ab Ecclesia abesse velint, formatas dare, & communicatorias literas. Cæterum hæc formula propria fuit Thessalonicensi Vicario, seu Legato Apostolico; neque ex illa aliorum jura omnimodis metiri licet, sed attendi debet privilegiorum ipse tenor: quare Dupinii relatio de Legatorum Natorum, seu Vicariorum Apolicorum potestate, à Romanis Pontificibus Episcopis Gallicanis concessa, cum mox relata omnimodis non concinit; nam, illo teste, est 1. Formatarum tribuendarum. 2.

Con-

Convocandi Concilii Dicecesani. 3. Referendi ad Pontificem de majoribus causis. 4. Cavendi ut Canones observentur, fidelique illibata maneret. Quibus 5. additum esse posterioribus sæculis, ait, jus appellationum à Metropolitanorum judiciis: quod, juxta ipsum, solum obtinere videatur Lugdunenſis Antistes. At jus ordinationum Metropolitanarum hisce Legatis, seu Primatibus, aut Vicariis Apostolicis nunquam in Galliis concessum esse, quemadmodum Thessalonicensi, contendit. In Decretalibus h. T. cap. 1. Legatus natus Papæ per simplicem querelam à Subditis Suffraganeorum suorum adiri potest, quod Metropolitanis denegatur; cæterum in ipsis Decretalibus, atque in Sexto his Legatis aliqua negatur, quæ Legatis à Latere, aut etiam ipsi Nuntiis Apostolicis concedantur.

6. Legati hi Nati, seu Vicarii Apostolici, vel potius ipsi Vicariatus à Romanis Pontificibus instituti non fuerunt ad propagandam eorundem dominationem, aut ut novo servitutis jugo opprimeretur libertas Ecclesiastica: sed per eos solis serviebatur Regnorum, & Provinciarum utilitati, & necessitati; nimirum, stabilien-
dæ in iis Religionis, & Ecclesiasticæ Disciplinae.

Hanc propositionem, quam quidam, etiam Catholicis, libertatum suarum præjudicati defensores, suspectam habuerunt (hoc Lib. Tit. 8. N. 70.), probo imprimis positivo S. Leonis M. testimonio, quod ne Protestantibus quidem suspectum esse debet, si eam de hoc Sanctissimo Pontifice, quam habere par est, nacti sunt ideam. Sic autem Sæculo V. Anastasio suo per Illyricum Legato Nato ep. 84. scribit: *Quoniam sicut Prædecessores mei Prædecessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi: ut curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus (notent hoc Domini Protestantes), imitator nostræ*

*mansuetudinis effectus, adjuvares, & longinquis ab Apostolica Sede Provinciis præsertim quodammodo nostræ visitationis impenderes: quia de continenti opportunoque prospectu promptum tibi esset agnoscere, quid in quibusve rebus, vel tuo studio componeres, vel nostro iudicio reservares. Quo in loco Romanus Pontifex (quem aliter universalis Ecclesia Chalcedone congregata suspexit, ac Domini Protestantes ejus legitimos Successores suspicere solent) 1. dicit, iure divino curam omnium Ecclesiarum ad se principaliter pertinere. 2. Motivum insinuat, cur, ad exemplum Prædecessorum suorum, Anastasium Vicarium sui per Illyricum constituerit; ut nempe curam, quam ipse per se ob longinquitatem locorum exercere commode nequiret, vice sua iisdem Ecclesiis, pro majori illarum bono, sedula obitione munere N. præcedenti narratorum, impenderet. 3. Denique amussim transcribit, ad quam curam hanc exigere debeat Anastasius, ne vel Romani Pontificis, aut Episcoporum sui Vicariatus jura, Sacris Canonibus firmata, offendant. Quod ultimum punctum, in quod respectu Metropolitanorum, & Episcoporum peccaverat Anastasius, tanto zelo per omnes hujus epistolæ §§. eidem inculcat Cordatissimus Pontifex, ut non nisi præjudicis exæcatus suspicari valeat, S. Leonem, & ejus Prædecessores, primo-
rurum Sæculorum Pontifices, dominationis propagandæ ambitione animatos, Vicariatum Thessalonicensem instituisse. Cumque idem motivum habuerint S. Leonis Successores in instituendis aliis Sedis Apostolicæ Vicariis, seu Legatis Natis in variis Occidentis partibus, de quibus hoc Lib. Tit. 28. N. 17. nullus dubitandi de veritate propositionis adductæ locus remanet. Quod autem simile motivum habuerint, vel inde patet, quod Anglia per S. Augustinum ab infidelitate, Hispania per alios ab hæresi Arriana, Gallia per S. Remigium, Germania per S. Bonifacium ab*

ido-

idololatria ad Fidem Catholicam perducta fuerint: qui omnes Vicarii Apostolici fuerunt, temporaliter vel perpetuo subinde instituti, quemadmodum, & quamdiu Ecclesiarum utilitas, vel necessitas id postulavit. Videatur Thomaff. p. 1. lib. 1. c. 32. 33. &c. unde esto benigne fortassis sumi posset, quod scribit Van - Espen Juris Eccl. P. 1. Tit. 21. N. 14. *Denique Romani Pontifices intelligentes, quante momenti esset ad firmandam auctoritatem suam apud Gentes gratia, & favor Episcoporum principalium, & illustrissimarum Ecclesiarum, quibus ob prerogativam Urbium prae quoque erat Principum benevolentia, illos Dignitate Vicariorum Sedis Apostolicae jam pridem honorarunt; si nimirum supponat hanc auctoritatem semper fuisse iustam: mihi tamen non placet; cum oppido frigidum sit in Sedem Apostolicam, & ex dictis maneat consuetum.*

7. Hæc Legatorum Natorum amplissima potestas post Sæculum X. pene collapsa est, substitutis illorum loco Legatis arbitrariis, tam à Latere, quam Nuntiis Apostolicis.

Causam hujus immutationis refert Espenius L. mox cit. his verbis: *At cum lapsu temporis jus perpetuæ Legationis esset quibusdam Ecclesiis annexum, viderentque Pontifices, personarum, quæ iis præfiebantur Ecclesiis, delectum nequaquam à libero suo pendere arbitrio; caperent horum (id est, Natorum Legatorum) auctoritatem diminueri: aliorum vero, qui ab illorum libera pendebant nominatione, augeri: quæ auctoritas circa Sæculum XI. summum incrementum accepit. At si eruditus, & zelosus, non tamen semper secundum scientiam, Canonista causam simul adjecisset, cur illo Sæculo Romani Pontifices maluerint habere Legatos à suo arbitrio dependentes, eosque majori præ Natis auctoritate cumulare; non tam frigidam in Sedem Romanam scripsisset periodum. Illam vero*

facile deprehendit is, qui Christi Ecclesiam deploranda illa tempestate fœdissima Simonæ, Venerisque illuvie in membris suis honoratoribus infectam, & tantum non consecratam, attentius consideraverit. Cujus luctuosi argumenti ideam aliquam dedimus hoc libro Tit. 6. à N. 64. &c. Tum enim sane necessum fuit, ut principales illius speculatores Romani Pontifices, œcumenico malo occurrere volentes, jus legationum arbitrariarum à primis Sæculis à se possessum (N. 1. h. T.) arriperent, & viros, non illos, quos Sædium prærogativa obfetricante Simone ipsis casu quodammodo parturivit, aut saltem parturire poterat; sed quos probata virtus, spectata pietas, & rerum agendarum peritia sustineret illi moli humerosis satis reddiderat, eligerent, atque illis prærogativarum titulis munirent, qui auctoritati, & jurisdictioni Legatorum Natorum subinde detraxerunt. Quam necessitatem Sanctissimi quoque, & Doctissimi Antistites tum agnoverunt. Unius S. Iovnis Carnotensis, utpote Dominis Protestantibus minus suspecti, testimonium huc transcribo. Sic ille ep. 53. ad Paschalem II. *Quoniam apud nos videmus quotidie Ecclesiam ruentem, & nullam, aut pene nullam manum erigentem, &c. scribere decrevimus, ut alicui Transalpino Legationem Sedis Apostolicæ injungatis, qui & viciniam subrepentia mala cognoscat, & ea vel per se, vel per relationem ad Sedem Apostolicam maturius curare prævaleat.* Hocque ex fine A. 1055. Victor II. in Gallias misit illum tot nominibus celeberrimum Hildebrandum, qui postea Pontifex Maximus creatus, Gregorius VII. dictus est; Nicolaus II. A. 1059. Mediolanum Petrum Damiani, & Anselmum Lucensem Episcopum, qui in Pontificatu postea Alexander II. audit. Hi vero duo Pontifices experti per has ipsas Legationes, quanti momenti, ac præsidii esset in hujusmodi Legationibus ad eradicandas vitiorum pestes, Legatos ipsi frequentissimos in omnes Or-

bis

bis Christiani Provincias sparserunt, quamdiu federunt ad universalis Ecclesie gubernacula: qui mos deinceps stabilis est.

8. Legatorum tum à Latere, tum Nuntiorum Apostolicorum potestas ex jure communi considerabilis est, atque amplior, quam Legatorum Natorum.

Illam genericè delineavit Innocentius III. ep. 104. lib. 16. nimirum, ut (Legatus à Latere, & proportionaliter etiam Nuntius in Ecclesia, ad quam mittitur) *juxta verbum propheticum evellat, & destruat, ædificet, & plantet, quæ secundum Deum evellenda, & destruenda, nec non ædificanda cognoverit, & plantanda.* Ex hac tam ampla delegatione factum est, ut sensim cuncta omnino Provinciarum negotia ad hujusmodi Legatos deferrentur, sive de judicis ageretur, sive de confirmatione privilegiorum, sive denique de aliis quibuscumque negotiis tractaretur; & consequenter concurrentem haberent & cumulativam in utroque foro cum Ordinariis Locorum jurisdictionem. Id quod Legatis natis nunquam concessum fuit. Hæc patent ex variis Decretaliis, Sextique Canonibus. Nam Cap. *Cum dilectus* 6. h. T. & Cap. 1. eodem in 6. conceditur Legatis à Latere potestas conferendi Beneficia, in Provincia sibi decreta tempore suæ Legationis vacantia, etiam præterito Patrono Ecclesiastico, quæ potestas Legatis Natis ibi denegatur: imo in Cap. *Si à Sede* 31. de Præbend. in 6. concursus cum quolibet Ordinario Provincie suæ in collatione Beneficiorum cum jure præventionis. Et in Cap. *Excommunicati* h. T. potestas absolvendi percussorem Clerici ab excommunicatione tribuitur Legato misso, seu Nuntio Apostolico respectu suæ Provincie: quæ tamen denegatur Legato Nato, seculæ specialis commissione. Postremo illorum potestas, primum delegata, in ordinariam transit, quæ morte Delegantis non expirat per Cap. 2. de Off. Legati in 6. à Clemente IV. editum: in quo etiam dicuntur præesse

Tom. I.

Provinciis sibi commissis ad instar Proconsulum, cæterorumque Præsidum, & quidem sicuti Proconsules Romani, euntes, & redeuntes à Provinciis conceditis, utebantur insigniis: ita quoque Legati jure communi utuntur insigniis Apostolicæ Dignitatis, puta vestibus rubeis, Palafredo albo, fræno, & calcaribus deauratis, idque mox ut ex Urbe recesserint. Uti colligant Canonistæ ex Cap. *Antiqua* 23. de Privilegiis. In quo ea insuper prærogativa Legatorum Apostolicorum, his insigniis utentium, exprimitur, ut nec Archiepiscopi, imo nec Patriarchæ possint Dominicæ Crucis vexillum sibi jubere præferre, ubicumque similis Legatus præsens esset.

9. At, quamquam posterioribus his Sæculis amplissima fuerit horum arbitrarium Legatorum, præsertim à Latere, auctoritas, & potestas: plura sibi nihilominus in signum suæ Supremæ Potestatis reservarunt Pontifices, quæ illis non competunt, nisi specialiter, & nominatim in eorum facultatibus, & mandatis sint expressa.

Talia sunt transferre Episcopos, & Archiepiscopos; unire duos Episcopatus, aut alteram Sedem Episcopalem alteri subijcere; & his similia, quæ ad Cap. 4. de Offic. Legati annotavit Glossographus.

10. Legati tum à Latere, tum Nuntii, etiam ex sanctissimo sine instituti, amplissima sua potestate subinde graviter abuti sunt: ita quidem, ut illos Provincie, & Regna quandoque preccarentur.

Cum enim ex ordinatione variorum Pontificum ipsis tanquam Ministris Ecclesie necessariis sumptus essent suppeditandi; præscribi ab ipsis tandem cepit ordo solutionis, coactique Provinciales immensas nonnunquam auri, argentique moles pendere: quæ adeo publica erant avo S. Bernardi, ut scribens ad Eugenium lib. 4. de Consid. eum moneat, ut tales in Cardinales eligat, qui, cum Legatione Sedis Apostolicæ ornati fuerint, Ecclesias non spolient, sed emendent; qui marsupia non exhauriant, sed corda res-

Et

susciant;

faciant, & crimina corrigant; qui cum ad Sedem Apostolicam redierint, redeant fatigati quidem, sed non suffocinati: simul & gloriantes, non quod curiosa, seu pretiosa quaque terrarum attulerint; sed quod reliquerint pacem Regnis, legem Barbaris, quietem Monasteriis, Ecclesijs ordinem, Clericis disciplinam, Deo Populum acceptabilem, Sclatorem bonorum operum. Et ep. 290. Nonne alterius Seculi res est, rediisse Legatum de terra auri sine auro, transisse per terram argenti, & argentum nescisse? Hinc frequens Pontificum, atque Conciliorum Sanctiones, quæ Legatorum in exigendis procuracionibus excessum non semel castigant, atque intra moderatos necessitatis limites, ut nulla Ecclesia, vel Prælatu se indebite prægravari rationabiliter conqueri possit, concluderunt. C. 17. & 23. de Censibus.

Quantum ad secundam partem, immoderate hujusmodi exactiones ansam hæc deprecationibus dederunt, simul & præteritioni, ut nonnulli Principum consensu explorato Legati ne mitterentur. Hinc Alexander III. Ludovicum VII. Galliarum Regem oravit, ut Thomam Cantuariensem Episcopum per Gallias Legatum creari patere-rit, ep. 20. Et Callistus II. A. 1129. Henrico Angliæ Regi concessit confirmationem antiquæ consuetudinis, ne Legatos nisi eo petente mitteret, teste Rege-rio. Qui mos in alia quoque Regna subinde propagatus est, teste Thomasi. p. 1. lib. 1. c. 119. N. 5. & seqq.

11. Legatorum tum à Latere, tum Nuntiorum Apostolicorum amplissimæ potestati modus statuminatus est in Tridentina Synodo; illaque, sicut & potestas Legatorum Natorum ex jure communi metiri jam tuto nequit, sed ex mandatis, Privilegiisque Apostolicis definienda est.

Quantum ad primum Trid. Sess. 24. c. 20. de Ref. Legatis Apostolicis mandat, ne Episcopos in quibuscumque Causis ad

Forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, etiam Beneficialibus, quantum ad primam instantiam, non solum non impediant, aut aliquomodo eorum jurisdictionem iis præcipere, aut turbare non præsumant; sed nec etiam contra Clericos, aliasve Personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisiti, etoque negligente procedant; & Sess. 22. c. 7. de Ref. in appellationibus tenentur servare tenorem cap. Romana de appellat. in 6.

Quantum ad secundum, Abbas jam ipse annotavit in Cap. finali de Confirm. utili, &c. adeo fuforie, & generaliter de officio Legati in Jure Canonico tractari, ut vix constitui possint ea, quæ jure Legationis proprie ad Legatum pertinent: unde & nos, quæ de Legatis in commune diximus, sic intelligi volumus, ut Lector certum putet, Legatorum quorumvis facultates, & auctoritatem, sicut in omnibus aliis, sic & in materia ista pendere ab ipsa Concedentis liberalitate. Quapropter ex contextu Literarum Apostolicarum, in quibus facultates à Summo Pontifice iisdem concessæ leguntur, de eorundem auctoritate, & potestate est judicandum. Sic longe amplissimæ sunt Reverendiss. ac Celsiss. S. R. I. Principibus, ac D. D. Archiepiscopis Pragensibus, qua Legatis Natis, ad instantiam Gloriosissimi Imperatoris, & Boemiæ Regis Caroli VI. concessæ; utpote quod in Bullis (quas in ipso originali ab Urbano V. Avenione V. Kal. Junii Pontifici. A. III. expeditas de speciali benevolentia mihi inspicere, & scrutari licuit) per Provinciam Pragensem, quæ in Regno Boemiæ consistit, nec non & per aliquot alias vicinas Dioceses Sanctissimus *Vices suas, & Legationis Officium iisdem perpetuo concedat.* Quorum prægnantia verborum (*vices suæ à Legationis Officio distinctæ*) proculdubio singularem quamdam facultatem, & auctoritatis amplitudinem satis superque declarat.

De Majoritate, & Obedientia.

1. Præfenti Titulo, qui ultimus hoc libro commendandus venit, recensenda foret, ac velut in tabella exhibenda Divina prope S. Romanæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Hierarchia; verum cum illam jam sparsim, ipso opusculi scopo ita exigente, delineaverimus, agendo Titulo VI. de Papa, de Patriarchis, de Exarchis, de Primatibus, de Metropolitanis, seu Archiepiscopis, & de Episcopis; Titulo XI. de Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Lectoribus, Acolythis, Exorcistis, & Ostitariis; Titulo XXIII. usque ad XXVII. inclusive de Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Dignitatibus, atque Officiis Ecclesiasticis minoribus; Titulo XXVIII. de Vicariis variis generibus; tandem Titulo XXX. de Legatorum itidem variis speciebus; eorumque Majoritatem, & respectivè obedientiam, quantum æconomia suscepti operis fert, explicaverimus; de S. R. E. Cardinalibus historicam commentationem, hucusque desideratam, suscipimus, cui Contraversiam gravissimam de Episcoporum supra Presbyteros majoritate Jure Divino sancta, atque ab Heterodoxis negata, subnectemus.

2. S. R. E. Cardinalium nomine veniunt Eminentissimi illi Viri Ecclesiastici, qui sive ex Clero Sæculari, sive ex Regulari assumpti, cum Romano Pontifice Supremum Ecclesiæ Catholicæ Senatuum constituunt.

Hoc elogio S. Bernardus lib. 4. de Consideratione illos exornat, ubi Eugenium Papam ita alloquitur: *Tuum est undecumque evocare, & asciscere tibi, exemplo Moysi, senes, non juvenes; sed senes non tam ætate, quam moribus, quos tu nasci, quia senes Populi sunt.* Nonne

eligendi de toto Orbe, Orbem judicaturi? Quo & majoritatem hujus Eminentissimi Collegii supra omnes Episcopos Palæ inferioribus graphicè exprimit, & lingularum obligationem conandi excellere omnes Christianos vita, & moribus, pio lacrimis exponit.

3. Si rem spectare velimus, non eminentiæ prærogativas; Cardinales, seu Cardinalitium Senatui à primis Ecclesiæ Sæculis Romæ viguit.

A primis enim Sæculis consuetum fuit Causas majores, uti fuerunt hæreticorum, Appellationum, &c. Romanis Pontificis judicio committere (quod, sicut hic probare esset facile, ita non est necesse): quibus dissentendis in adiutorium utique adhibuit Romanum Clerum, vel factum ejus Primores. Qui proinde munus Cardinalitium primarium obierunt.

4. Cardinalitium tamen Titulus non videtur illis Sæculis adhuc fuisse in usu; fuit tamen in usu ante Gregorium M. tempora, sub quo jam viguit Cardinalium distinctio in Episcopos, Presbyteros, Diaconos, quin & Subdiaconos; quibus tamen non indicabatur Collegium aliquod Romanum moderno simile.

Primum membrum aseritur ex silentio Scriptorum, vel ex amissione monumentorum.

Secundum ex eo, quod Pelagius Gregorii Antecessor apud Gratianum Dist. 24. Can. 3. *Visitatorem* Ecclesiæ expressis verbis distinguit à Cardinali, seu Titulari ejusdem Episcopo; & apud Augustinum Sæculo V. nomen Episcopi Cardinalis occurrit.

Tertium inde, quod idem Sanctissimus Pontifex Cardinales tum Episcopos, tum Presbyteros, tum Diaconos suis in episto-